

Liber primus.

lem. Vt Basilea & Constantinopolis, Basilea & Lutetia, Roma & Neapolis, Neapolis & Alexandria Aegypti &c. Latitudo attenditur respectu septentrionis & meridiei: ut Basilea & Lubeca differunt latitudine tantum, atq; ob id eundem habent meridiem & consequenter omnes diei similes horas, habent eodem tempore nouilunia, oppositiones, eclipses & similia, sed habent diuersas dierum & noctium longitudines, id quod non habent qui latitudine tantum differunt. Exemplo tibi esse possunt Viennenses Austriae & Rauraci nostri, qui cum eandem ferè habeant poli elevationem, easdem habent longitudines dierum & noctium, sed diuersa initia dierum, meridierum & omnium horarum quae à meridie pendent. Nam quum Viennensibus est meridiem, sol adhuc habet circiter octo gradus usq; ad meridiem Basiliensium, qui in tempore faciunt ferè quadraginta minuta, id est, duas tertias unius horae.


Differentia longitudo.

Longitudo regionis.

De parallelis siue circulis dierum & noctium.

NVmerantur circuli dierum inter minores circulos, cum omnes praeter unum aequatorem sphaeram diuidant in duo inaequalia, comprehendanturq; inter duos tropicos. Sol namq; à principio capricorni usq; ad cancri initium 82. parallelas aut potius spiras describit, inter quos medius aequinoctialis est, ultimus uerò tropicus cancri & primus tropicus capricorni. A tropico uerò cancri descendens usque ad finem sagittarii, alios octoginta duos parallelas describit, qui dierum naturalium circuli appellantur.

Tropici.



Sub circulo aequinoctiali ubi axis mundi iacet in horizonte, & cœlū rectissime mouetur ab oriente in occasum, describit quidē sol maiores & minores circulos dierū, sed cū illi perpetuo ibi per horizontē abscondantur in duas aequales partes, erunt dies semper noctibus æquales & contrā, quia mediij paralleli sunt sub hemisphærio & mediij supra, id quod prima figura in plano ut cunq; ostendit. Vbi uerò polus leuatur supra horizontē, leuat quoq; secū ab illa parte portionē parallelorū nocturnorū à cancro usq; ad æquatorē, & oppositus polus trahit secū sub horizontē partē parallelorū diurnorū, unde fit, ut dum

Paralleli dierum.